

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Conuersacio ad
cum uariis

Non sicut quidam faciunt qui cum ad edendum assederint, inquieta quadam agitacione membrorum intemperanciam animi sui designant. Caput excuciunt, brachia exerunt, manus in altum expandunt, et non sine magna turpitudine quasi totum epulum simul sint absorturi, ingentes quosdam conatus et gestus satis indecoros ostendunt. In uno loco sedentes oculis et manibus que prope et longe sunt omnia circumcurrunt simul panes comminuunt, uina in calices effundunt, discos in gyrum circumducunt, et uelut rex super ob sessam ciuitatem assultum facturus, dubitant ubi primum expugnacionem aggrediantur, dum simul in omni parte irruptionem facere concupiscunt.

Hugo ibidem.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

sicut] sit M; turpitudine] turtupidine L²; simul *om.* P V¹ V² L¹ L²; uina] uinum P V¹ V² L¹ L²; ubi] unde L¹ L²; expugnacionem] expougnacionem (*cor. sub lin.*) B; parte] tempore P V¹ V² L¹ L²; Hugo *om.* C M P V¹ L²; ibidem] in libro de disciplina monachorum V² L¹